

CAROLI V. IMP. SUB IPSAM UR-

bis Metensis obsidionem cusus : Anno

Christi 1552.



V T CAROLUS V. Imperator Metim ab Henrico II. Galliarum rege Imperio ereptam, recuperaret, validâ manu Argentoratum petiit: dehinc Haganoicâ viâ Lotharingiam versus proficiscitur. Galli interim ductore, Guisio Metim & Nanceium muniunt: frumentum omne atque pabulum ex agris eò convehunt. Cæsar Landavio supra 16. dies, pulcherrimo cœlo, non sine multorum admiratione commoratus, tandem iter ingreditur Metense: & ad 22.

diem Octobris Urbem obsidet: plerique cives ac senatores permissu Gallorum discedunt, alij in Lotharingiam: Argentoratum alij. Militabant Cæsari Joannes Marchio Brandenburgicus; Adolphus Holsatij Dux Daniæ regis frater: Philibertus Sabaudia Ducis filius. Albertus etiam Brandenburgicus, cum ei de stipendijs exercitus, cum Gallia rege non conveniret: ad Cæsarem se convertit: ac cum eo reconciliatur. Eum Aumalius Gallus cum ingenti exercitu adoritur: sed successu prorsus infœlici. Profligatus quippe ab Alberto vulneratur: captivus abducitur. Cæsar auditâ hac victoriâ Dedenhovio, quod est ad Mosellam 4. infra Metim milliaribus, 20. Novembris die in castra cum venisset, longè validius, quam prius factum, urbs tormentis concutitur, fragore non Argentinensium saltem, sed & trans Rhenanorum aures verberante. Defendebant Urbem lectissimi duces, crebras eruptiones, in Alberti præsertim castra facientes: rei vero summæ præerat Guisius. Sub exitum Decembris Cæsar hyemis sævissimæ intemperie coactus obsidionem soluit, & Dedenhovium profectus, ac inde reversus in Belgium, legiones aliquot apud Treviros hyemare jubet. Ex contagione autem atq; frigore propè tertia pars exercitus desiderata fuit. Susceperat quidem Cæsar hanc in Mediomatrices expeditionem, cum jam nominis famæq; suæ celebritate utrunq; sese polum complevisse existimasset: ut Meti subjugatâ felicem curis laboribusq; suis finem imponeret: & Hercules velut alter has ad columnas clavam suam deponeret, leoninam suspenderet: verum successu parum prospero expertus fuit, consilia humana divinis reprimi non raro atque re-

rundi. *Steidanus. Author.*